ORATIO

IN

COLLEGII REGALIS MEDICORUM LONDINENSIS

ÆDIBUS NOVIS

HABITA

DIE VII^mo^. KAL. JUL. MDCCCXLIV.

A JACOBO A^o^ OGLE, SOCIO,

NECNON APUD OXONIENSES

MEDICINÆ PROFESSORE CLINICO.

OXONII,

EXCUDEBAT T. COMBE, ACADEMIÆ TYPOGRAPHUS.

MDCCCXLIV.

ORATIO.

PLERISQUE, forsitan, vobis, Socii, ignotus hospes solenni et festo munere defuncturus adsum, jussu accitus illustrissimi illius nostri Præsidis, quem gravis nuper et lamentabilis exitus e medio sustulit, prohibuitque ne cœtui huic nostræ ipse amplius gratissimus interesset—cujus quidem jussa, ab inscio heu! tam properantis fati data, mihi pro pietate erga memoriam honoratissimam capessenda statui neque minore diligentia quam si ipse adhuc superstes, ut sæpe antehac, ita nunc quoque nobis adfuturus esset. Quare huic operi quamlibet impar lubentissime tamen ad id pro virili exequendum me accinxi, inque hanc vestram jam prodii concionem non eruditionis opinionem aucupaturus, sed potius ad officia præstanda alacritatem, erga vos autem studium et obse-

quium debitum adhibiturus.——Prægravis et altera mihi causa fuit quare huic provinciæ quam minime deesse vellem, Munera scilicet quæ in me conferre dignata est Academia Oxoniensis, et quæ, pro eo ac mereor multo honorificentiora, hodie jam susceptæ celebrationi haud prorsus incongrua videantur. Quamobrem si mihi demandatas Oratoris vices ultro peragere recusassem, quo demum ore imperitiam, pudorem causari, qua excusatione, quibus documentis, ignaviæ, desidiæ insimulatus, me vobis purgatum fore sperarem ?—Plane Nullis.

Celebres quidem laudare viros, quorum gesta, beneficia, reperta, tum nos tum omnem cæteram posteritatem et ad strenuam imitationem et ad gratam memoriam colendam devinxere, Oratori jucundissimum opus, modo ad tantam materiem tractandam, virium, facundiæ, ingenii satis suppeterit; mihi vero mecum reputanti tum ingenii, quod in me sit, tenuitatem, tum etiam id cogitanti de quibus et coram quibus nunc sit dicendum, consternatur animus, nec multum abest, quin totum periculum declinet. Vos igitur, Socii doctissimi, me, jampridem seposita eloquentia, intermissoque dicendi usu, aliam longe studiorum rationem secutum nolite arbitremini confidenter magis quam prudenter et præparato ad hoc munus obeundum accessisse, sed potius benevoli voluntatem vestram sinite impetrare; confido enim fore, ut, si cætera fortasse a vobis desiderabuntur, meum certe studium atque officium non desideretur.

Ab iis, qui antiquitus in hac arte et scientia nostra claruere, nomen nos accepimus honestissimum. Enitendum ergo strenue est, ut ea tanta gloria ad posteritatem nullam passa diminutionem propagetur. Nec sentiatis tamen, Socii doctissimi, me vobis diffidentem ea commonere. Vos enim plerosque agnosco acumine, ingenio, doctrina, tum etiam variis literarum ornamentis ita instructos, ut nemini dubium videatur, quin antecessorum illustrium hæreditatem vos incolumem, immo magis adauctam, ad minores sitis transmissuri. Atqui ni fallor, Socii, video ex ea comitate morumque facilitate vestra incommodi nonnihil ad hunc nostrum ordinem oriturum; vobis enim curantibus ut omnibus Medicinæ studiosis Academiæ hujusce aditus pateant faciles, vereor ne ita una præcipua veterum virtus, quæ nobis hodie inter cæteras celebranda proponitur, ea sensim aboleat; dico Humanarum Literarum Scientiam. Nam haud desunt, (eorum amentiam referre piget,) qui novarum rerum avidi, et antiquum omne esse adeo obsoletum, venustum omne ineptum opinati, Medicinam ingenuis ornatam artibus improbare, et literis exutam, quasi impedimento quovis expeditam, non modo collaudare verum etiam exposcere audeant.

Mihi vero quis jure succenseat, si apud Oxonienses Academicos educatus, si tot annos jam commoratus, literas a nonnullis hodie nimium despectas, quantum per me liceat, vindicare, vestrasque simul conatus ero ita ad meam partem flectere sententias ut nemo elegantioris doctrinæ rudis bona cum venia vestra in Medicorum

ordinem cooptetur. Quid enim? nonne celeberrimorum Medicorum plurima exempla docent, in literis exercitatiorem quemque se plerumque felicius ad artis suæ praxin addixisse?——Cujus quidem rei in causa videtur quod istiusmodi disciplinis non modo ingenii facultates excolantur, sed etiam ad cæterorum hominum cœtum ac societatem paratiores et habiliores efficiantur. Etenim literatis studiis tuetur mens, ne, mundanis sordibus contaminata, a præclaris contemplationibus declinet. Hunc autem ad finem nihil efficacius quam Christianæ Sapientiæ præceptis diligenti animo studendis operam dedisse et secundum ea vitæ rationem fideliter direxisse. De Medico enim verum est quod de Oratore Quintilianus testatur—" Oratorem esse nullum nisi virum bonum " posse, et fieri etiam si posset, id minus exoptandum."

Studia neutiquam contemnenda sunt quasi medico prorsus inutilia, quippe quæ nihil immediate ad medicam scientiam conferant, sæpius enim ab ostentatione procul ponenda sunt ea, quæ tamen ad artis perfectionem apprime sint necessaria,

" Ut operum fastigia spectentur, latent fundamenta."

Medico omnibus numeris absoluto vix satis esse videtur ut sit mentis acumine, scientiæ supellectile, artium præsidiis instructus, sed insuper huic opus esse ea versatili indolis felicitate, ea morum comitate, ea animi præsentia, ut nec communi hominum cœtui interesse, nec trivialibus rebus versari dedignetur, cautus idem ne istis nimium implicitus fiat, ut nec puero nec seni, nec pauperi nec

diviti, nec urbano nec agresti ingratus hospes, sciat omnium animos sibi ita conciliare, ut in sua arte, fide, peritia, fiduciam summam reponant. Proderit autem non corpora modo sed etiam animos hominum cognovisse—nec alia enim ratione poterit prava judicia corrigere, et ad ea, quæ sibi ipsis potiora sint, laborantes suadere : tum etiam bono ac felici successu cum omnibus cujuscunque ordinis hominibus conversari, id quod Medico præcipue officii erit.

Sæpe tristis ac severa curandi ratio, sæpe remedia acerbissima adhibenda erunt, nonnunquam etiam præsenti cruciatu futura sanitas emenda ; quare, ut artis necessaria asperitas in ægrotantes miseros leniatur, quanta esse debet in Medico comitas, quanta mansuetudo, clementia quanta ! Istæ autem virtutes plerumque in literatis doctrinaque perpolitis eminentissimæ inveniuntur. Hisce autem, secundum artis ipsius solertiam, nihil ad studia concilianda efficacius.

Medicam Scientiam videmus ab initiis exiguis et rudibus profectam, per tot sæcula semper crevisse tot orbis terrarum populis excultam, primitus ab Ægyptis, mox a Græcis atque Romanis, deinde ab Arabicis ; postea autem, renascentibus literis, doctrinæque fontibus vetustis reclusis, in Italia primum, inde etiam in cæteris Europæ regionibus floruisse, donec ad hanc perfectionem, qua apud nos est, jam tandem pervenit. Id autem effectum est quum aliis subsidiis adminiculisque tum maxime hoc, ut ab homi-

nibus præclarissimis non medica solummodo peritia, verum etiam literarum omnium humanarum solertia instructis, ars hæc nostra coleretur. Illud autem memorare juvat, ut nusquam honoratior quam apud nos extitit Medicina ita nulla Societas (absit verbo invidia) virorum ingenio et doctrina excellentium hac nostra fuit feracior.

Hic autem, ut rem antehac sæpe quidem memoratam, nusquam vero satis celebrandam, perpaucis attingam, Linacri imprimis recordandum est, cujus sane ingenium patriæ lumen splendidissimum exortum videtur. Ille ad omnes scientias perdiscendas atque illustrandas natura aptissimus nullum studium omisit, quo posset ingenitam indolem excolere et promovere. Ille, quidquid liberalium artium impertire Oxonia potuerit, id secum a domo portans Italiam imprimis adiit, antiquum Musarum sacrarium, perenne politioris elegantiæ domicilium—illic cum omnibus quibuscunque doctissimis versatus philosophiam scientiasque toto pectore hausit—et postea, domum reversus, primus Medicinæ fontes interclusos et obseratos aperuit. Quæ in morbis curandis admiranda gesserit, quæ in Oxoniensi et Cantabrigiensi Academiis munificentissime Medicæ artis gratia effecerit quis Vestrûm ignoret? Collegii hujusce fundator, primus ipse atque illustrissimus artis nostræ inter Britannos patronus, meritis semper honoribus fruetur. Haud liberalius profecto quam prudentius viri consilium fuit, quo in iisdem studiis conjunctos in unum itidem gregem, ac quasi fami-

liam, convocandos curavit. Minime ille ignorabat quantum et ad Medicorum ipsorum commoda, et ad Medicinæ cultum et splendorem, valeant concordia et societas. Linacri exemplo ductus, ejusque premens vestigia, per Italas civitates opes literarias Caius assecutus est. Permulta etiam ille doctissimus antiquorum disertorum opera, bibliothecarum forulis recondita ac pæne oblivioni data, blattis tineisque eripuit, emendatioraque in lucem edidit. Sicut vero in cæteris Linacri æmulator, ita in eo maxime fuit, ut ipse quoque literarum humanarum fautor Collegium conderet, in quo præcipuum esset Medicinæ studium, quod Collegium largissime a se dotatum et nomine suo insignitum Rei Medicæ apud Cantabrigienses fons et domicilium honoratissimum huc usque permansit.

Ex Caii atque Linacri vitis præclarissimam esse et utilissimam Medicinæ cum Literis societatem perspeximus. Vidimus profecto Medicinæ studia renascentia, quæ diuturna medii ævi barbaries pæne oppresserat, Medicis literatis deberi. Vidimus utrumque quidem virum Medicinam simul ac Literas, ingenio, scriptis, exemplo, munificentia promovisse. Veruntamen novo aliquo et insigni reperto nondum Scientia dotata erat, nondum novus iste rerum ordo successerat, in quo maximis repertis primum facile locum sibi Harveius vindicavit. Naturæ abditæ investigator ante Harveium nullus acrior fuerat, nemo ad repertum Verum demonstrandum perspicacior: Cui nostratium, cui peregrinorum Harveii inauditum

nomen? Ne multa: aut me Viri egregii Scientiæque amor fallit, aut Harveius noster inclyto illi Astronomo, sæculi proxime sequentis et lumini et decori, nequaquam postponendus est. Sicut enim Neutonus sui sæculi maximum lumen et decus jure habetur, ita in præcedenti quis non agnoscit Harveium doctrinæ insigne ornamentum et præsidium? Quantum enim Neutonus, explicata lucis gravitationisque natura, de Optica et Astronomica Scientia bene meruit, tantum certe Harveius, prolata et demonstrata vera Circuitûs theoria, Medicinæ profuit. Egregius uterque Philosophus maxima procul dubio reperuit. Alter utilissima ac saluberrima scientia lætos mortales donavit; alter ingentia stupendaque cœli miracula ostendit. Summa ambo gloria hominibus affulsere; ambo honorem clarissimum assecuti.

Qui totum Philosophiæ ambitum adamare non didicerint, ii mirabilius forsan et excelsius existimabunt Siderum per Inane infinitum errantium certissimis legibus orbitas descripsisse, quam molecularum per animalium venas cursitantium semitas invenisse; certe jucundius censebunt cum Neutono cœlos sempiternis suis ignibus coruscantes suspicientes mirari, quam cum Harveio cadaverum mucores ac putredines inhumatas contemplantes horrere. Veritatis autem sui ipsius gratia indagatoribus paullum refert utrum æthere late splendens, an stagnis et luto expiscatum Verum reperiant. Rem enim sua utilitate æstimantes, commodisque inde ad humanum genus oriundis, ea trutina Repertoris merita perpendunt.

Eæ utique præ aliis laudabiles disciplinæ videntur, quæ mentes natura desidiosas hebetesque aliquando ad cogitandum atque agendum, ad diligentiorem rerum atque causarum investigationem ita excitent, ut eæ demum Omnipotentem Deum utpote in cunctis suis operibus ubique præsentem agnoscant, ejusque verum Numen inde patens adorent. Tali vero ratione si diversarum præstantia scientiarum dijudicetur, nihil est cur Anatomiæ Astronomiam anteferendam statuamus. Scalpellum Dioptra vix leniorem laborem exegit. Sive astra legamus—sive cadavera exploremus—utrobique miracula abundare, resque tam humiles quam excelsas explere cernimus. Si ingens Mundi universi machina Creatoris Summi potentiam prædicat, at animantis vel minimi corporis forma pariter illius sapientiam et bonitatem declarat. Si tellus ac siderum innumeræ constellationes lege una simplici, eademque efficacissima, certissima, constantissima, ad Summi Gubernatoris laudem circumvolvunt, nec vero minus ossium et nervorum compages, membrorum commissuræ, venarum labyrinthus, in omnibus quibuscunque animalibus vitæ instrumenta atque tutamina, almi ejusdem Creatoris beneficentiam commendant. Huc quoque assentit VATES ILLE REGIUS, qui cum caneret—" Cœli enarrant gloriam Dei," idem alio in loco cecinit " Laudabo Te, quia mirabilibus et verendis modis " elaboratus sum, haud enim Te latebat substantia mea, adhuc " imperfecta, quando in secretis ossa fabricabantur." Quod igitur ad utriusque Philosophi reperta attinet, haud ita longe alter

ab altero mea quidem sententia distare videtur. Uterque enim a principiis obscuris dubiisque miro acumine naturæ collecta undique arcana investigavit patefecitque. Uterque, divinis certe auspiciis, quæ affirmaret ea certissimis clarissimisque documentis evidentissime probavit. Sed forte dicet aliquis; at Harveius cum Asellio disputans opinione falsus est. Quid ergo? unusne error, cui et in disertissimis obnoxia est humana natura, potest egregio nomini officere? Parum caute Harveius partem deteriorem tuebatur, Asellii dictum impugnando, qui se usum vasculorum, quæ lactea vocant, reperuisse crederet. Sed hac in parte, si recte judicemus, Harveium, quamvis errantem, culpa tamen omni caruisse statuemus; adhuc enim in avium piscium que mesaraicis frustra quæsitæ erant canaliculæ hæ lactariæ—atqui in iis fas esset illas requirere, siquidem recte ratiocinatus esset Asellius. Porro quænam esset lactei humoris natura, aliunde per vascula tenuissima fluitantis albere visi, etiam ipse Asellius nondum compertum habuerat. Quæ cum ita sint, quo tandem jure aut poterat aut debebat Harveius noster, cui ad verum indagandum unico semper instrumento ac indici experientia fuerat, conjecturis nullo certo documento suffultis assentiri. Indignum procul dubio nomine suo—tantæque suæ famæ nociturum admisisset, iis sententiis temere cedendo. Quinetiam Harveio si unus error semel admissus adeo crimini detur, at de Neutono quid sentiendum, qui et ipse tantus philosophus tamen erravit? Constat enim hunc contra

Huygenianam Theoriam prave disputasse, quæ quidem Theoria recte explicabat, quanam de causa radiis per chrystallum certa ratione trajectis, et sic refractis, duplex rei objectæ imago reddatur. Neutoni ab Huygenio discrepabat sententia: semel autem in vita Neutonus errabat.

Postremo quod a quibusdam Harveio invidiosissime objectum fuit, hunc Serveti et Cæsalpini de cordis motu et sanguinis decursu commentis, quasi indicibus, usum, sic ad præclaram suam circuitus theoriam pervenisse; qui hoc justius aut verius quam dicere, eos, Neutono in Astronomia qui antecesserint, Galilæum, Copernicum, Keplerum, justæ illius viri gloriæ aliquid ademisse; et tamen quis unquam negavit priores Astronomos ad ingentia Neutoni reperta non nihil contulisse?

Constat quidem Harveium, post nobile suum de circuitu repertum editum, multo rarius, ut in scriptis ipse queritur, ad ægros invisendos esse accitum: quare mei videtur propositi, ut ostendam quidnam obstaret quominus Medicus ille, tam doctus et tam sagax, tot vigiliarum, tantorum laborum fructum tantillum perceperit—pecuniam nunc intelligo; quantum enim is sibi nomen, quam famam, quot honores nactus esset, quis nescit? Quum Harveius illustre suum repertum promulgasset, tunc in omnium ore versatum et quod nomen ejus ad omne tempus nobilitaturum videbatur, non defuere qui calumniis virum peterent, tum æmulandi desperatione tum invidia moti, ut, si possent, non modo reperti gloriam

obscurarent, sed etiam Repertori existimationem et famam omnem eriperent; quam quidem injuriam sæpe senem Harveium conquestum, nec alii causæ imminutos medendi fructus tribuisse invenio, sed tamen verisimilius arbitror Harveium, qui rerum natura investiganda scientiaque augenda semper totus versatus et distentus erat, vix publico favori conciliando satis forsan operam dedisse.—Qui ad Philosophiam sese totos occupent, ii plerumque solent res quotidianas omittere; triviales contemnere; cœtus autem vulgares fastidire; a negotiis molestiisque se subducere; opes, divitias, honores, securitatem, quidquid denique vulgus admiretur, id minus affectare: hujuscemodi fuisse Harveii indoles ex vita epistolisque satis apparet—quibus rebus conjicere par est Harveium, magis propter philosophicas contemplationes natum, quam mundanis negotiis gerendis aptum, successu in medendo famæ suæ magnitudini vix adæquato fructum esse. Ne quis vero opinetur idcirco literas ac philosophiam nihil ad medendi felicitatem conferre, nam primum plane compertum habemus Harveium et a necessariis suis, quibus notæ ejus virtutes essent, et ab Rege ipso optimo (eheu infelicissimo), summo honore habitum fuisse. Denique notandum est Harveium obtinuisse quodcunque ipse aut cuperet aut studeret, cui contigit medicæ arti ac scientiæ multo magis prodesse, quam si in medendo vel felicissimo successu usus esset. Nec ita tantum, sed etiam insigni erga hunc nostrum ordinem et collegium sua liberalitate immortalitatem adeptus videtur, cujus nemi-

nem e vobis, Socii ornatissimi, aut ignarum aut oblitum opinor. Inter alia, Bibliotheca Supellexque munificentissima Harveii dona —tum etiam, quod summum est, annua hæc concio atque festivitas, quas ipse et condidit et in perpetuum instaurandas jussit. Hæ nobis hæredibus suis commonent ut, tanti Benefactoris pie grateque memores, ejusdem virtutem præclarumque exemplum celebrantes æmulemur.

Jam vero, quoniam ad liberaliores artes respeximus, non sine injuria de Radclivio omnem mentionem prætercam, quem largum atque munificentissimum medicæ artis fautorem, liberalissimumque egeni ægrotantis opitulatorem, nulla ævi longinquitas (spero) oblivioni tradet.——Amplissimus hic dicendi campus sese aperuerit, ni exiguum temporis spatium vetaret, sed mihi præsertim probro esset, cujus fidei quodammodo concredita est istorum beneficiorum dispensatio, si tanti viri, tam almi Benefactoris memoriam honoratissimam mea qualicunque laudatoria oratione carere patiar. Erat sane in Radclivio aperta quædam ingenuitas, morumque pæne Laconica simplicitas, adeo ut horridula nescio qua (ne dicam inhumana) specie vir optimus obductus nonnunquam videretur. Fuit quorumdam Medicinæ Professorum, quos ille aut rei medicæ parum peritos, aut artibus parum honestis favorem publicum aucupantes suspicaretur, acerrimus adversarius—fuit etiam blanditiarum, quæ in aulicis fere expetuntur, totus expers, nec (si famæ credamus) erga vel summos patronos assentatione debita uti digna-

tus est—qua quidem in re an recte fecerit, necne, haud mihi nunc decernendum proposui. Ingratum profecto esset viro egregio culpæ vel levissimum tribuere, nec id equidem in animum induxi, sed ejus rei non alia de causa mentionem faciendam statui, quam ut ostendam eam ipsam simplicitatem apertumque ingenium Radclivio in arte sua valde profuisse. Hic enim, ut antecessorum, ita et æqualium, vel levissimi pendens auctoritatem, nec ullius magistri addictus præceptis, nisi quæ aut rectissimæ rationis aut certissimæ experientiæ documentis suffulta arbitraretur, methodum vere Hippocraticam, eo tempore procul dubio saluberrimam, prosecutus est. Quod vero aiunt Radclivium detrectantes, vix satis fuisse hunc literarum elegantia excultum, minus equidem inficias eo, quanquam invidiosius certe atque severius tale judicium appareat, quod de literarum tam munifico patrono feratur. Sed ea in quæstione ne longus sim, de Radclivio jure affirmari potest, tantum fuisse in eo innatum indolis vigorem, tamque singulares animi dotes, ut doctrinæ subsidia, aliis necessaria, huic pæne supervacanea essent. Nequis putet tamen exinde ista refellere jam supra a me disputata, permagnam scilicet perfecto Medico esse bonarum literarum utilitatem; eximias enim, quales in Radcliviano ingenio splendebant dotes, perpauci mortalium natura sortiti sunt, et tamen Radclivio ipsi forsan profuisset si Musarum sacris non nihil magis vacasset; viro enim illustri si propter morum nimiam asperitatem reprehensionis quid tribuendum est, (id quod rivales

criminabantur,) ingenuis hoc artibus corrigendum foret, quarum provinciæ communi consensu datur, ut emolliant mores, ingenitamque ferocitatem leniant. Sed ne a proposito ulterius declinet oratio, cui potius laudatio quam reprehensio pertinere videtur, Radclivii liceat virtutes commemorare, quo in egenos et oppressos nemo liberalior, in scientia promovenda nemo munificentior; ea fuit in beneficiis conferendis modestia, ut sæpe ignoto nomine daret, et fere laudes atque gratiam tantum sibi vitandas putaret, quantum alii probrum atque dedecus. Hunc neque secundioris aura fortunæ, neque adversæ ictus, a largissima benevolentia absterrere potuit. Illius in bonas literas favorem testantur opes illæ amplissimæ, quas Academiæ Oxoniensi ad literas promovendas legavit. Ipse porro, adhuc superstes, Academicis Medicinæ studiosis duobus annua stipendia in perpetuum erogavit atque constituit, ea conditione injuncta, ut in perigrinas regiones proficiscentes novam semper Medicinæ notitiam undique compararent. Quos nummos ad Nosocomium, Radclivii nomine nuncupatum, primum (ni fallor) ea expressa ratione conditum, ut clinicæ medicinæ studiosis proficiendi semper in eo præsto essent facultates; quos denique ad has nostras ædes faciendas contulerunt Radclivii hæredes fiduciarii quis vestrum ignoret? Quæ, posthuma licet beneficia, tamen et ei debentur, et ejus memoriam tamdiu clarissime honestabunt, quam diu egregiæ bonitatis memoria hominibus remanebit.

Unum vobis, Socii, admonitum velim, quod nequaquam mei propositi fuit omnes de nobis bene meritos laudibus ita celebrare, ut neminem omnino præteriisse videar. Illi quidem complurimi fuere, nobis nempe exempla: artium literarumque ornamenta; patriæ communis decora: sed literarum potius, in perfecti Medici institutione, utilitatem mihi proposui ut vobis indicarem: quædam igitur ad hoc argumentum pertinentia ex Harveii et Radclivii vitis desumpta disserui—ne quis, horum utrius fortuna exemplo usus, meæ aliquid parti posse contradici putet, neve respondeat, hunc vix pro doctrinæ suæ magnitudine felicem, illum pro literarum modico, (quibus ornatum accepimus,) nimio forsan successu usum esse. Istam vero repugnantiæ diluens speciem, simul occasione lubens utebar, ut eorum virtutes, certe omni laude majores, mea qualicunque oratione illustrare coner. Cæterorum commemorationem, nihilo minus præconiis dignam, quoniam vix ad omnium vel ipsa nomina percurrenda sufficeret tempus, necesse est ut aliis relinquam post me oratoria hac vice et officio defuncturis. Cæterum ejus restat commemoratio, de quo omnem præterire mentionem vetat decentia; vetat et meum ipsius, vestrumque omnium desiderium; vetat denique orationis hujusce nostræ argumentum, cui magnopere auxiliatur viri illustrissimi nuperius exemplum. Illum dico quem vos, Socii, quem ego, quem tota civitas, quem præcipue Academia hæc nostra luget; ejus pridem patrocinio florens Præsidem illum honoratissimum luget, qui paucis abhinc mensibus

me ad vos annuum oratorem constituit, nescium heu diei tam prope instantis, ut hæc non prius habenda concio foret, quam ille, cujus præsentia et auspiciis instaurari oportebat festivitas, funebri ipse laudatione parentandus, honoremque a nobis debitum mortuus potius quam vivus accepturus esset.

Etenim dignus erat qui ob excellentissimas animi virtutes longiorem vitam sortitus esset, diutiusque humanis rebus interfuisset, tamdiu etiam quam regiæ majestati, (cui merito gratissimus fuit,) universo regno, patriæ, necessariis omnibus, utilis esse potuit; potuisset sane vivens semper, nunquam enim non Virtus utiliter operatur: verum quia homo erat, et ea conditione natus, ut fatali aliquando pareret necessitati, præclare et feliciter cum eo actum existimo, laudoque fortunam ejus, qui amplis honoribus functus, non apud literatos modo, verum etiam apud cæteros omnes, apud Magnates, apud Reges ipsos, existimationem præclarissimam consecutus, abiit tandem lætus, dierum atque honorum satur, omni cura ac solicitudine solutus, optimam secum spem ferens, et ad Linacros, ad Caios, ad Harveios, magni nominis umbras, nuncius ipse illustrissimus pervenit.

Equidem negotiis procul degens, aulicorum cultor parcus et infrequens, vix mihi is esse videor, cui illius laudandi provincia jure evenire oporteat; quum vestrum e numero, Socii egregii, quosdam aspicio ipsius viri familiares, ne dicam affines et cognatos, quibus ex diuturna consuetudine notiores sint eæ virtutes, ea artis peritia,

ea doctrina, comitas, prudentia, humanitas, quibus vir summus omnium sibi, non dico voluntates, sed summa studia atque fiducias conciliaverit—quocirca ad futuram alicujus eloquentiam ista celebranda relinquo, sed id unum, Socii amplissimi, vobis annotatum velim, nempe ut probe conveniat isti meo de literarum utilitate argumento hoc quoque nuperius editum nobis splendidissimum exemplum; scilicet eo nunc evidentissime declaratur, maximi esse momenti ad perfectum medicum studia politiora. Quis enim illo omnibus elegantioribus literis edoctior? quis antiquitatis doctrina instructior? quis ad normam Romanæ Græcæque eloquentiæ excultior? quis scribendi copia ac concinnitate perpolitior? et quem interea vidistis Medicum perfectiorem, quem in tota arte exercenda feliciorem?

Sed dum illum virum lamentor, vobis pariter ac mihi flebilem desideratumque, quem Deo Optimo Maximo visum est e medio nostro auferre, minus certe deceat gratulationes omittere erga eum, qui in vacuum Præsidis locum auspicatissimo successit initio. Tibi, Vir amplissime, et susceptam dignitatem gratulor, et quod felix faustumque sit, et tibi et nobis et reipublicæ huic literariæ, volo exque animo precor. Sit, precor, id, quo fungeris, tam tibi decori, quam nobis commodo, officium; magnique tui antecessoris virtutes tibi ita æmulandas censeas, ut studia, voluntates, reverentias nostras, quemadmodum ut ille, tecum semper feras; neque tibi sit nostri e medio discedendum, donec, ut ille prior, sic tu secundus, opum,

honorum, famæ præmiis onustus, artem diu beneficentissime exercitatam emeritus tandem felicissime reponas.

Quod superest, Socii, vos obsecro ut reputetis vobiscum, quid et quale esset Medicina literis humanioribus nudata, quæ opinor nec digna veneratione habita, nec ea, qua jam floret, auctoritate cultuque gravis, sed spreta, tandem nulli, nec ægrotantibus neque medicis, profectui foret; civibus autem, opem salutemque sperantibus, incommodissima certe, ne dicam perniciocissima, empiricorum inscitia sæpissime fieret.——Haud opus est ut in ea, quæ apud unumquemque satis constat sententia, affirmanda multus sim; scilicet artem omnem atque scientiam eo magis florere, quo magis ii, qui eam profitentur, honore et gratia habiti fuerint. Per ludibrium interrogantibus; cui bono literarum studia?—negantibus ullum esse sperandi locum, ut arti (quod mentiuntur) novæ, et antiquis pæne ignotæ, quicquid proficerent literæ, facillime responderi potest. Licet enim concedamus, nihil ad novam scientiam valere ea, quæ ex antiquis scriptoribus juventuti Academicæ a prælectoribus tradantur—concedamus etiam, interpretum ope versionibusque vernaculis, hodie patere omnibus quæcunque aut a Græcis aut ab Romanis scriptoribus vetusta Medicinæ arcana condita sint; attamen idcirco minime concedimus, operam perdere Medicinæ studiosos, si qui literis colendis sese dare voluerint. Etenim quis ingenuus unquam dubitavit, academicarum disciplinarum et studiorum in animis informandis egregiam esse utilitatem: iis primo

rite imbutus puer, deinde ad cæteras artes ac scientias, quamlibet difficiles, paratior adolescens pergit; iis ludis laboribusque exercitata mens, et exinde nacta experientiam, tunc diversas rerum species callidius inspicit, legumque, quibus eæ obtemperant, rationem facilius intelligit. Expositis conditionibus perdiscit recte colligere, verum ex erroribus enucleare, causas solers exquirere, exitus sagax anticipare. Et ista eadem sentiebat senatus noster Oxoniensis, qui paucis abhinc annis (quum leges et constitutiones Academicas recenserat, jam vetustate obsoletas, hodiernoque tempori minus convenientes) id statuebat in medium proferre, et demum, re mature perpensa, jubere, ut nemo Medicinæ studiosus prius Medicinæ destinato suo studio incumberet, quam literis humanioribus per spatium quatuor annorum operam dederit—examenque, inter cæteros gradum in artibus ambientes, subierit.

Vos autem, Socii, nolite mirari quo tandem tendat oratio mea; rem enim paucis, si lubet, exponam. Quando nuperrime de re medica quæstio publice instituebatur, et de privilegio eorum, quos penes est medicis quæstum exercitaturis potestatem concedere, multum et acerrime disceptabatur, rogabant quidam ut Academicis in posterum interdiceretur id privilegii; affirmabant enim, non eadem ubique alumnos institui ratione, sed alias aliter, neque semper ad trutinam satis accuratam expendi peritiam eorum, qui aliquando docti et ad artem habiles pronunciandi sint. Si qui vero alii tanta in re indormientes peccarint, inhabilesque siverint in

cives exire, per me quidem hos liceat incuriæ suæ pœnas dare, minime enim is sum qui fraudulentos excusem; sed unum affirmare plane audeo, neque ejus asseverationis onus recuso, nempe istius opprobrii nihil Oxonienses tangere. Molestum vobis credo fore, nec res postulat, ut in illo repellendo multus sim.—Sunt etiam qui statutum rogant ut penes unum quoddam collegium sit potestas in Medicina graduatos creandi; attamen, ut opinor, neque id utilitas neque necessitas videtur postulare, ut omnes ad unum idemque exemplar medici instituantur; nam varios hominum mores, ingenia, et studia reputans, in eum inducor animum, ut sentiam utilius esse, penes viros diversis rationibus educatos, dummodo sit his idonea et sufficiens medicarum literarum peritia, esse jus eos nominandi, qui in medicorum ordinem rite cooptentur. Video permagnam esse institutionis Academicæ vim moralem, non modo in ipsos alumnos, sed etiam in cæteros ordines, quum alumni in suam quisque vitæ provinciam diverse abeuntes, honoribus, opibus, muneribus graves, sententias suas inter clientes aut parochos disseminent et auctoritate confirment. Mihi igitur persuasum habeo, Academias, donec pro virili parte honeste agant, reipublicæ decori commodo et utilitati esse. Atqui, ut aliorum sibi observantiam et studium concilient, necesse videtur imprimis ut liberæ ipsæ et sui juris sint; nemini enim morigerari solent, qui non et eundem reverentur. Quamobrem quum non ita pridem apud nos Oxonienses ageretur, utrum exteri sint in id concilium

accipiendi, quo concilio de nostris judicium ferre solemus, contra istam sententiam et reclamabam et semper strenue renitendum esse censebam, indignum arbitratus, ut quovis prætextu aut qualibet auctoritate delegati, alieni consessores solennibus nostis Medicinæ examinationibus interessent, idque prudentiæ esse statui ut summopere caveatur.

Postremo si quid in nostræ reipublicæ constitutione immutandum sit, id, quippe qui in senatus virtute, prudentia, integritate, maximam fidem spemque habeam, æquo animo expecto: interea, omnia fausta precor.—Valete.